



ADolphus ex illustri familia comitum Scha-
 uenburgiorum natus, atq; omni genere uir
 tutum educatus est. Is cum artium & linguarū fun-
 damenta feliciter iecisset, sese Coloniam cōtulit, &
 in eius collegij canonicū receptus fuit. Ibi cum ui-
 tæ grauitate & rara prudētia reliquos anteiret, Her-
 mannus elector eum plurimū dilexit, atq; suum
 Coadiutorem constituit. Itaq; factum ut pontifex
 Romanus, cum Hermānum ad Euangelicorū reli-
 gionem inclinātem officio remoueret, hunc Adol-
 phum substituerit, atq; Archiepiscopū ordinarit.
 Verūm Adolphus sua sorte contentus, eò usq; ac-
 quieuit, donec tādē Carolus Imperator ferē per

Germaniā uictor suos legatos Coloniam miserit, atq; Hermāno reiecto om-
 nes huic Adolpho parere iusserit. Tum enim per uicinos proceres, qui inter-
 cessores erant, factum, ut 25 Ianuarij 1547 Hermannus sua sponte cesserit, atq;
 Adolpho Archiepiscopatum tradiderit.